

sine fructu contuli, et varietates omnes diligentissime adnotavi. Codicum quoque lectiones multo locupletiores et numerosiores exhibui, quam reliqui editores omnes, ita ut, quae ad critica textus emendandi adjumenta pertinent, omnia hic collecta reperiantur. Sed de his mox paulo fusius disseretur.

Praeter varias lectiones virorumque doctorum emendationes notis inserui iudicium meum de illis locis, qui a viris doctis aut frustra sollicitati sunt, aut revera sensus vel lectionis difficultatem habent, et ubique aut quid verum mihi videatur dixi argumentisque admunivi, aut nihil certi me videre ingenue professus sum, semper autem brevitatem maxime secutus sum, in qua ne modum me excessisse dicant nonnulli, vereor, sed difficile erat certos fines constituere, nec ultra vel citra eos aberrare. Eodem brevitatis studio ductus sensum etiam locorum non explicavi, nisi ubi aut difficilis esset, aut iudicium de varia lectione ferendum a sensu explicando penderet; locos faciles aut ab aliis recte explicatos silentio transii, vel ad interpretum explicationem ablegare lectorem satis habui. Illum etiam locum de usu loquendi Aeschylo, de rarioribus dicendi generibus etc., in quo multi esse et excussis adversariis apta et inepta, necessaria et abundantia adferre solent editores,